



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXXIV. De Sacrificio Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

ejus species unâ cum corpore Christi. Cæterum argumentum hoc est contra Molinæum fol. 1183; ratum, nec vinum nec panem spectare ad essentialiam hujus Sacramenti, & loco horum quemlibet alium potum & cibum adhiberi posse. Quod ipsum sentiunt Calvinus, Beza & plerique Calvinistæ; quibus ad stipulatur Melanchthon permittens Ruthenis mulfum pro vino: Catholici autem omnes tenent: semperque tenuerunt, Christum in institutione Eucharistiæ materiam determinasse, scil. panem & vinum. Unde antiqui Christiani semper pro hæreticis habuere, qui aliud in Eucharistia, quam panem & vinum adhiberent. Videatur S. Thom. 3. p. 9. 74. art. 1. Ad 14. falsum esse majorem in eo sensu, quo illam cudit Joan. Gerhardus hujus argumenti faber. Nam putat illud solum esse præsens, quod vi verborum est præsens; quod negamus, tum etiam per concomitantiam aliquid fieri possit præsens. Quamvis igitur unâ eademque actione formaliter vi verborum non fiat præsens sanguis in consecratione Hostiæ, fit tamen præsens realiter ac concomitanter per eandem actionem, quæ non nisi totum Christum ponit. Hæc eadem distinctione multæ aliæ hæreticorum cavillationes repelluntur, quæ idcirco referre omitimus. Ad 15. & ultimum. Eucharistiæ & Sacramentum & Sacrificium esse; istud necessariò utramque speciem requirere: non illud. Cum igitur Sacerdotes Sacrificium peragant: Laici verò solum Sacramentum sumant; non est ab illis ad hos argumentatio, ut magis infra patebit.

XIX. Hæc de communione sub una specie, quæ omnibus retrò sæculis viguit in Ecclesia Christi. Et licet subinde utraque etiam species daretur, tamen communio sub una specie semper simul permansit apud infirmos, & abstemios &c. item licet subinde alibi sub una, alibi sub utraque specie daretur communio, ex hoc tamen nulla inter Ecclesias orta fuit lis, nulla inter Episcopos dissensio, nulla partis alterius condemnatio; nullum schisma; nulla hæresis; quia scil. Ecclesiæ Pastores & Doctores optimè intellexerunt, nihil hic agi contra institutionem Christi, nihil contra præceptum divinum, sed id cuique Ecclesiæ liberum relinqui. Unde mirum sanè, siquid hic erroris & fraudis in subtrahendo Calice contra divinum præceptum intervenisset, id à nullo Concilio, à nullo Episcopo, à nullo unquam Doctore animadvertum fuisse, aut Ecclesiam tam diu à Spiritu Sancto desertam peccitasse! Hæc profectò talis est consideratio, ut cuilibet viro prudenti & suæ salutis cupido sitim calicis extingere, & unâ contentum specie à Sectarijs ad Catholicos, ac veram istorum Ecclesiam (in qua sola verissima habentur Sacramenta) reducere juremeritissimo possit.

CONTROVERS. LXXIII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Sacrificia inter Fideles in Lege Naturæ æquè ac Moysaica; imò inter Infideles semper fuerunt usitata, præsertim mactationes pecorum; quia iste honor ac cultus videbatur hominibus summus, quem in hac vita divinæ Majestati ex-

hibere possent. Sed quid honoris aut commodi percipere DEUS potuit ex mactatione pecorum? nunquid odit illa & exterminari voluit? non. Diligit DEUS omnia quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit Sap. 11. v. 25. an delectabatur odore holocaustorum? non. Quæ enim delectatio ex combustione cadaverum hauriri queat? an carne eorum vesci cupivit? non. Nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? Psal. 4. v. 13. Pro dubitationis hujus & Sacrificij explanatione.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina. prima. Sacrificium in Sac. Scriptura dupliciter sumitur. Primo. latè & improprie pro omni opere bono, quod instar Sacrificij. DEUM placat & conciliat; quomodo sumitur Psal. 4. v. 6. *Sacrificate Sacrificium justitiæ.* Secundo. strictè & proprie pro certo quodam cultu externo, & quidem in genere oblationis & signi facri, quem cultum DEO tanquam rerum omnium principio ac supremo Domino exhibemus, & sequentia concurrere ad illum debent. 1. materia quædam externa DEO offerenda, ut taurus vitulus &c. 2. intentio & voluntas DEUM hoc cultu venerandi. 3. obligatio ejus verbalis aut ceremonialis, quæ significatur in honorem Dei agi. 4. immutatio rei oblatae, ut occisio, combustio, effusio. 5. significatio tali immutationi legitime imposita; nimirum Omnipotentia, Excellentia Dei, cui jus & fas sit, omnia destruere, cum dederit omnibus esse, & omnia conservet, alioquin mox in nihilum suum ruitura: & in cujus honorem nos vitamque nostram offerre vellemus; si ita oporteret. Ex his *Intentio cultus divini* est omnino necessaria, utpote sine qua ritus externus mactandi bovem lanienæ potius, quam sacrificij habet imaginem. *Materia externa* est etiam necessaria; circa quam actus sacrificatorius versetur, nequaquidlibet esse potest, sed res aliqua DEO digna, utpote cultui externo inserviens, & corruptibilis, & ejus destructione significatur, quod per sacrificiū intendimus. *Verbalis oblatio* materiæ ad rationem sacrificij absolute necessaria non est; ut rectè Suarez D. 72. sect. 31. quia nec levitici Sacerdotes, nec Christus ipse in cruce vel coena suum sacrificium peculiaribus verbis obtulisse leguntur. Licet igitur oblatio sit essentialis sacrificio, non tamen fieri debet per verba, & in actu signato, cum ipsamet actio sacrificativa sit in actu exercito quædam oblatio facile intelligibilis ex circumstantijs loci temporis modi &c. *Immutatio & destructio* est quoque necessaria, quia sine aliqua destructione non apparet, quænam peculiaris proportio sit potius in Sacrificio ad significanda ea, quæ per ipsum significari debent, quam in qualibet alia oblatione in recognitionem supremi dominij & excellentiæ divinæ facta; per destructionem autem artificialimè significantur, quæ per sacrificium significari oportet. Utramque destructio hæc physica esse debeat, aut moralis immutatio sufficiat, infra dicitur. *Significatio denique mystica* accedere debet, sine

bet, sine qua illa immutatio & destructio profusus esset profana. Essentialis autem est significatio divinæ Omnipotentiae, Excellentiae. &c. quasi Sacrificans expressis verbis diceret: *Quemadmodum ego hunc vitulum occido, ita DEUS tanquam supremus Dominus jure possit, si vellet, nos omniaque nostra disperdere, dignissimus, in cuius honorem vita nostra consumeretur; id quod humiliter hoc ritu protestor.* Ex his

II. *Doctrina secunda.* Sacrificium est oblatio rei alicujus DEO facta in commune signum supremi dominij DEI in vitam & necem. Ita Arriaga Disp. 49. n. 28. cum qua definitione fere conveniunt ceterae ab alijs afferri solitae. Explicatur & dicitur 1. oblatio, per quam indicatur, quod Sacrificium sit actus distinctus ab alijs Religionis actibus 2. DEO facta; quia nulli alteri potest fieri, nisi vero DEO; est tamen Sacrificium vero Deo oblatum toti SS. Trinitati commune, licet unica Persona exprimat; siquidem ratio offerendi scilicet Omnipotentia, Excellentia &c. est communis omnibus Personis. 3. in commune signum; Sacrificium enim debere esse commune & publicum, omnes fere docent, ut testatur Arriaga num. 12. Nec obstat, privatas olim personas privatam etiam auctoritate sacrificia obtulisse, uti Abel, Jacob, Abraham &c. etenim istae fuerunt personae publicae, & suarum saltem familiarum Capita, ac proinde habuerunt auctoritatem instituendi ea sacrificia. Ob quam rationem Christus Dominus, etsi unica persona fuerit, & unicam mortem obierit, potuit auctoritate, quae pollebat summam efficere, ut ipsius mors esset signum commune ac proinde verum etiam ex hoc capite Sacrificium. 4. Supremi Dominij &c. per quam distinguitur actus Religionis, qui est Sacrificij, à tribus alijs actibus Religionis, scilicet Laudis DEI, quae consistit in verbis, & circa omnia attributa DEI versatur: Adorationis, quae cognoscit Excellentiam seu Claritatem & Dignitatem divinam: Oblationis simplicis, quae attendit supremum DEI dominium omnium rerum; cum tamen juxta praedictas voces Sacrificium spectet idem supremum Dominium, & DEUM ut authorem vitae & mortis. Studio autem nulla fit mentio in definitione, an immutatio physica esse debeat, an sufficiat moralis rei significatae, de quo infra.

III. *Doctrina tertia.* Sacrificium Missae est verum ac proprie dictum Sacrificium. Ita Card. Bellarminus Tom. 2. L. 1. de Missa à cap. 6. & omnes Catholici Doctores, definiturque in Trident. Sess. 22. can. 1. his verbis: *Siquis dixerit, in Missa non offerri Deo verum ac proprium Sacrificium, anathema sit.* Prob. 1. ex illo Psalmi 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* unde sic argumentatur. Christus si fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, tunc sacrificavit in pane & vino, sicuti olim Melchisedech Gen. 14. v. 18. *Protulit panem & vinum; erat enim Sacerdos Altissimi.* Sed Christus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech juxta cit. prophetiam Davidis, quod Christus de se exposuit Matth. 22. v. 44. & Paulus ad Heb. 5. vers. 6. Ergo sacrificavit in pane & vino, sicuti fecit in ultima cena consecrando panem & vinum, atque Apostolos imitari iussit: *Hoc facite in meam commemorationem;* ubi ipsum verbum *facite* favet sacrificio, quia *facere* apud Latinos & Hebraeos significat sacrificare. Major hujus Syllogismi probatur. Si Christus in ritu

sacrificandi non imitatus fuisset Melchisedech, nulla profusus ratio foret, cur potius Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quam Aaronis & cujuslibet alterius Sacerdotis diceretur, cum nec ex Stirpe Melchisedech prognatus fuerit, nec illi in officio successerit, nec alia speciali ratione illi potius, quam alijs Sacerdotibus similis fuerit. Accedit textus hebraicus; etenim ubi nos in Latino legimus secundum ordinem, in hebraico est *secundum ritum & morem Melchisedech*, graece *κατὰ τὸν ῥηθμὸν* secundum dispositionem & praescriptum ordinem. Probatur 2. ex praedictionibus aliorum Prophetarum, qui vaticinati sunt, Gentiles ad DEUM conversos ubique & jugiter Sacrificaturos. Malachiae 1. v. 11. *ab ortu solis usque ad occasum magnum est Nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offeritur Nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in Gentibus, dicit Dominus DEUS exercituum.* Jsaiae 66. v. 20. *adducet omnes Fratres vestros de cunctis Gentibus; v. 21. & assumam ex eis in Sacerdotes &c.* Quae prophetae non essent verae, nisi consecratio corporis & sanguinis Christi esset verum proprieque dictum sacrificium. Quia Christiani ex Gentibus conversi non habuerunt aliud sacrificium, quod ubique liceret immolare; siquidem Sacrificium crucis, in quo Christus se ipsum cruento modo Patri Sacrificavit, solum uno loco scilicet in monte Calvariae & tantum semel oblatum fuit, in quo ipse sacerdos fuit, & nemo alius. Quapropter debet aliud sacrificium assignari, quod in toto mundo à varijs Sacerdotibus immoletur; aliud autem assignari non potest, nisi consecratio Corporis & Sanguinis Christi, quae fit in Missa, ut affirmat Tiranus in allatum Malachiae textum ex unanimi SS. Patrum & orthodoxorum Doctorum consensu.

IV. Probatur 3. ex Apostolo Paulo ad Hebraeos 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo serviunt.* Unde sic argumentatur. Si Christiani habent altare, tum habent sacrificium; quia altare est locus sacrificij, & haec correlativa sunt, altare, sacrificium, victima, Sacerdos. Sed habemus altare juxta citatum Apostoli locum. Ergo & habemus Sacrificium: & non aliud quam Eucharisticum, unde nobis edere licet; quia vetera sacrificia ovium, bovm &c. proliis abrogata & à Christo prohibita sunt. Qui etiam tabernaculo in veteri Testamento servierunt, non habuerunt potestatem comedendi de hoc altari, quia corpora vituli & hirci, quorum sanguis expiatorius peccatorum totius populi ferebatur semel quot annis per Pontificem in sancta sanctorum: & erant typus Christi, ac representabant victimam corporis & sanguinis ejus in Eucharistia aequè ac in cruce, non poterant more vulgarium comedi in castris à Sacerdotibus vel Levitis, sed debebant extra castra cremari, videri possunt Cronelius à Lapide, Tiranus, & alij Interpretes in hunc locum Probatur 4. ex SS. Patribus, qui multipliciter ostendunt, in Missa verum offerri sacrificium. Tum quia non raro disertis id verbis affirmant. Tum quia aiunt, hoc sacrificium fuisse praefiguratum per sacrificia legis Moysaicae, & ijs multò esse praestantius. Tum quia asserunt, eam oblationem fieri soli DEO, non autem Sanctis. Tum quia docent, Eucharistiam offerri pro vivis & defunctis. Tum denique quia agnoscunt veros Sacerdotes, usumque Altarium, quae non alio fine institui solent, nisi ut in ijs offerantur sacrificia.

Sacrificia propriè dicta. Refert hos ordine temporum Jacobus Gualterius in Tabula chronographica. Sufficiat hic unus D. Cyprianus, qui lib. 2. Epist. 3. ad Cæciliam ita scribit: *SI JESUS Christus Dominus & DEUS noster ipse est summus Sacerdos DEI Patris, & Sacrificium ipse DEO patri primum obtulit, & hoc fieri in sui memoriam præcepit, utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur & Sacrificium verum ac plenum nunc offert in Ecclesia DEO Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum viderat obtulisse.* Ecce Cyprianus clarissimis verbis docet, Christum in cœna se ipsum obtulisse, & præcepisse, ut istud postea in sui memoriam fieret; quod dum facit Sacerdos, obit munus Christi, offertque DEO Patri verum ac plenum Sacrificium in Ecclesia. Probatur 5. duplici ratione. Prima est, quod si Eucharistia non esset verum Sacrificium, sequeretur in Christiana Religione nullum esse Sacrificium propriè dictum. Hoc autem absurdissimum est, cum nulla unquam Religio extiterit, quæ suis sacrificijs caruerit. Altera est, quod in celebratione Missæ omnia necessaria ad veram rationem Sacrificij reperiantur, nempe Sacerdos, Altare, Res oblata, oblatio facta DEO, Rei oblatae quædam immutatio, & Hostiæ consumptio, ut ex dictis jam patet, & magis ex dicendis constabit.

V. Porro controversum etiam inter Scholasticos, in quantum Actione Missæ propria ratio Sacrificij reperiat? Prima sententia est aliquorum apud Dicastillo Tr. 5. de Sacrif. D. 1. n. 135. Verba oblationem, quæ fit tum in offertorio, tum maximè post consecrationem, pertinere ad rationem Sacrificij. Sed contra est, quod supra jam dixerimus, Verba oblationem non esse de ratione Sacrificij. Secunda est Cane L. 12. Locorum c. 15. ad 14. & nonnullorum, Fractionem saltem partialiter esse de essentia hujus Sacrificij. Sed contra est, quod peragi possit Sacrificium absque omni fractione v. g. si hostia consecrata ante summptionem cadat in calicem, tum enim non frangitur, ut habetur in Missali Romano. Atqui non posset omitti fractio, si esset Sacrificio essentialis. Tertia & valde communis est opinio in sola consecratione totam essentiam Sacrificij consistere. Sed contra est, quod isti Authores ostendere non possunt, quomodo res oblata destruat. Ergo non est Sacrificio. Quarta est Alberti in 4. Dist. 13. & aliorum in sola summptione consistere rationem Sacrificij. Sed contra est, quod sumptio Hostiæ non fit oblatio DEO facta, sed, ut ita dicam, nobis facta. Ergo &c. Quinta denique est Card. de Lugo D. 19. Sect. 5. & aliorum RR. utramque actionem, nempe consecrationem & summptionem pertinere ad essentiam hujus Sacrificij. Addunt tamen isti, postâ consecratione jam haberi substantialem sacificationem, nec hoc obstat, quin adveniente summptione ponatur altera pars ejus substantialis sacificationis, sicut quando Sacerdos sumit media hostiam, censetur substantialiter fumere hoc Sacramentum, & tamen sumptio alterius mediæ partis est aliquid substantialiter pertinens ad summptionem Sacramenti. Sed contra est, quod utrique parti hujus opinionis jam objecimus; & si sumptio saltem integralis pertineat ad sacrificium, deberet Sacerdos omnes, quas consecravit Hostias, fumere, ne rationem Sacrificij quoad integrale complementum relinqueret imperfectam, quod est contra communem praxin.

VI. *Doctrina quarta.* Ex relatis sententijs probabilissima videtur tertia, quæ asserit, solam consecrationem esse propriè & formaliter Sacrificium. Ita D. Thomas Q. 82. art. 4. ad 1. ubi ait, consecrationem Eucharistiæ non esse, sicut consecrationem Chriftatis; prior enim Sacrificium est; non posterior. Similia habet passim D. Bonaventura in 4. Dist. 13. art. 1. q. 4. & innumeri alij Veteres juxta ac Recentiores, quos copiosè enumerat & sequitur P. Dicastillo D. 1. cit. n. 176. imò, ut ait Arriaga D. 50. n. 6. omnes fere RR. Probatur 1. auctoritate Patrum, qui satis frequenter videntur constituere rationem Sacrificij in ipsa consecratione, verba eorum legi possunt apud cit. Auth. Sufficiat modò S. Gregorius Nyssenus Lib. de Bapt. ajens: *In principio panis est, ut ubi illum mysterium sacrificaverit (nempe sacrificio per consecrationem peracto) Corpus Christi & dicitur & est.* Probatur 2. Ex forma, quâ ordinantur Sacerdotes per verba illa: *accipite potestatem offerendi sacrificium.* Nam constat, characterem Sacerdotum, qui per verba illa datur, directè & primariò esse ad faciendum Corpus Christi. Ergo ex iisdem verbis habetur, characterem dari tanquam potestatem directam & per se ordinatam ad offerendum Sacrificium; quia actus consecrandi corpus Christi idem formaliter est, quod actus sacrificandi. Probatur 3. ex ratione. Tum quia certum est, Christum in cœna obtulisse verum sacrificium: non est autem æquè certum, sumpsisse Eucharistiam. Ergo ipsâ consecratione obtulit; si enim in communio pertineret ad rationem sacrificij, Evangelistæ eam non omisissent, utpote actum potissimum & essentialè, quem Christus Apostolis suis præceperat. Tum quia Christus nunc est principalis offerens unâ cum Sacerdote. Atqui non sumit corpus suum per Sacerdotem, sicut consecrat illud verbis Sacerdotis. Ergo Sacerdos non offert Sacrificium, quando sumit corpus Christi, sed quando consecrat. Ergo in sola consecratione consistit ratio hujus sacrificij. Confirmatur doctrina ista solutione variarum objectionum.

VII. *Obicitur 1.* In hac doctrina ostendi non potest, quomodo res sacrificata destruat. Pro responsione ad istud argumentum supponimus, de essentia Sacrificij non esse physicam immutationem, sed solum moralem rei sacrificatæ. Ita Arriaga D. 49. à num. 20. & hoc teste graves alij Authores, atque imprimis hoc tradit S. Thomas 22. q. 85. art. 3. ad 3. ubi explicans ex professo differentiam simplicis oblationis à sacrificio docet, circa res oblatas nihil fieri sacrum: & hoc sacrum non requirere determinatè, ut sit mactatio aut consumptio victimæ: sed disjunctivè esse vel mactationem vel benedictionem victimæ, quâ benedictione illa res fit sacra juxta etymologiam nominis Sacrificij, id est, sacrum facio. Fundamentum hujus sumitur ex Scriptura, in qua videtur aliqua esse sacrificia sine illâ immutatione physica v. g. Numeror. 5. *Sacrificium Zelotypia.* Levit. 21. *Sacrificium panum propositionis.* Genes. 14. *Sacrificium Melchisedech.* Levit. 16. *Sacrificium duorum hircorum pro peccato &c.* quæ omnia eruditè ostendit Arriaga loc. cit. & vera extitisse sacrificia, & nullam in eis intervenisse immutationem. Confirmatur. Quia unius oblatis destructio, & alterius productio magis idonea est ad significandam DEI Omnipotentiam, cujus duo sunt opera, scilicet res destruere, & producere; prius significatur per de-

per destructionem panis & vini: posterius per productionem vel adductionem Christi, ut hinc appareat, DEI dominium non tantum consistere in rebus destruendis, sed etiam producendis. Negari etiam non potest, commodius sic ostendi, quo pacto Christus in Altari sacrificetur: & destructionem panis esse sufficienter sensibilem; quamvis enim non sentiatur per visum; tamen sentitur per auditum; cum enim id in consecratione, quod modò panis erat, vocetur Corpus Christi, & id, quod erat vinum; dicatur sanguis Christi, facile colligi potest, perijisse panem & vinum; alioquin non potuisset verè dici Corpus & Sanguis Christi. Respon. igitur ad objectionem, non esse omnino necessariam ullam victimæ destructionem in sacrificio, sed sacrificari in consecratione Christum; quia offertur DEO Patri in signum publicum divini ac supremi dominij in vitam & mortem nostram. Et quia supra simplicem oblationem additur physica productio Christi sub speciebus panis & vini; per hoc includitur quædam moralis sanctificatio ipsiusmet Christi, & totius illius complexi ex Christo & speciebus; cum totum illud pertineat ad rationem sacrificij seu victimæ; siquidem victima & sacrificium debet esse res visibilis sive immediatè, sive mediatè.

VIII. *Obijcitur* 2. Aliqui Patres communionem Sacerdotis vocant Sacrificium. Et Concilium Toletanum reprehendit illos, qui in Sacrificio non fumebant Corpus & sanguinem Christi: *quale, inquit, erit Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse dignoscitur*; quibus verbis indicat, in participatione, sive sumptione consistere rationem hujus Sacrificij. Respon. illos nomine communionis intellexisse totum actum Sacrificij, qui etiam communionem Sacerdotis complectitur; unde Toletanum cit. miratur, quale sit Sacrificium, cujus Sacerdos ipse non fuit particeps, quamvis ex verbis, quæ statim subjungit, satis colligatur, sumptionem non esse partem essentialem Sacrificij, sic enim loquitur: *ergo modis omnibus tenendum, ut quotiescunque Sacrificans Corpus & Sanguinem Christi in altari immolet, toties perceptionis Corporis & sanguinis Christi se participem præbeat*. Ubi clarè apparet, immolationem & sumptionem distingui.

IX *Obijcitur* 3. Si sumptio non est de essentia Sacrificij, non est, cur adeo urgeatur & præcipiatur tam severè. Respon. Christum præcepisse sumptionem, atque ideo eam tantoperè ungeri; quia enim hoc Sacrificium instituebat simul per modum Sacramenti, jure merito, ut in ipso causaret Sacrificante gratiam, jussit illum de eo Sacrificio participare. Atque de hoc Sacramento (non Sacrificio) ait D. Thomas q. 83. art. 2. ad 2. *Sumere Sacerdotem Feriâ sextâ in Parasceve, ne Ecclesia careat fructu Passionis*. Quamvis autem Sacrificium non consistat essentialiter in sola communionem, nec exigat hanc vel ut partem vel ut complementum substantiale, exigit tamen eandem ut ornatum & perfectionem accidentalem, ut expressè docet cit. S. Doctor art. 4. & cæteri Scholastici.

X. *Doctrina quinta quædam ex dictis complectens collateralia*. Primum. Sacrificium & Sacramentum Eucharistiæ essentialiter differre. Nam Sacramentum est permanens in ipsis speciebus Christum continentibus; Sacrificium verò est transiens. Adhæc Sacramentum significat gratiam homini confe-

rendam: Sacrificium autem Potentiam, Excellentiam, Dominium DEI supremum &c. unde fit, Sacrificium ratione signi esse Sacramento præstantius. *Secundum*. Christum solam hujus Sacrificij substantiam & perfectionem instituisse, omnibus ritibus & ceremonijs Ecclesiæ dispositioni relictis, ut notat Tridentinum Sess. 22. c. 1. cum tamen in veteri testamento omnes ritus & ceremonias DEUS præscripserit. *Tertium*. Sacrificium crucis & sacrificium Eucharistiæ juxta nos non distingui specie, cum utrumque quoad hostiam sit idem; quamvis in modo immolandi cruentè & incruentè differant. *Quartum*. Ad essentiam nostri sacrificij necessarium esse utriusque speciei consecrationem, ut communissima habet Doctorum Catholicorum sententia, Ratio esse potest; quia si altera tantum consecraretur, non repræsentaretur satis expressè etiam modo incruentum ipsum sacrificium Crucis, quatenus in eo sanguis ab illius corpore fuit realiter separatus; Quapropter nunquam licet rem divinam facere cum sola unius speciei consecratione; si tamen istud casu quodam fieret, valida foret consecratio, quia consecratio unius tantum speciei, licet non sit verum ac perfectum, est tamen inchoatum sacrificium, & habet effectum suum statim ante consecrationem alterius speciei, hoc est, præsentiam Christi Corporis sub speciebus panis; alioquin si per errorem sola aqua consecrata fuisset, non foret valida consecratio hostiæ, quod nemo dixerit.

XI. *Doctrina sexta*. Sacrificij naturæ & essentia varia nomina præquam aprè fuerunt imposita. Nam h. græco nomine vocatur *Liturgia*, id est, publicum officium; quia Sacrificium publico nomine totius Ecclesiæ peragitur. 2. vocatur *Collecta*, seu *Collectio*; quia Fidelibus in unum collectis Sacrificium communi omnium nomine offerrebatur. 3. dicitur *Dominicum*, ut ex Baronio testatur Spondanus An. Christi 303. n. 3. quia in sacrificio Christus Dominus Sacrificatur, ac Sacerdos ejus personam agit. 4. hodie communiter *Missa* vocatur, quod nomen non est novum, sed apud antiquissimos Pontifices & Patres reperitur, ut videre est apud Jacobum Keller in Cotholico Papatu Tom. 1. fol. 571. Unde verò hoc nomen deductum sit, variant Doctores. Aliqui putant esse hebraicum à radice *Mâsâs*, quod significat liquefacere, ex quo formatur verbale *Missa*, id est, oblatio, & quasi liquefactio, dum res aliqua in DEI honorem dissolvitur, & quasi liquefit, quæ opinio idonea est ad refutandos hereticos, qui volunt sibi nomen in Sac. Scriptura ostendi; potest enim facile ostendi in Biblijs hebraicis Deut. 16. v. 10. ut fatetur Sebastianus Münsterus in suo dictionario hebraico. Alij putant, esse nomen latinum prisca Romanis usitatum pro missione seu dimissione; atque hæc sententia est communior apud Catholicos DD. qui dicunt, hoc sacrificium Missam appellatum ab accidentali cæremonia, cum Diaconus in fine Sacrificij canendo *ite Missa est*, dat licentiam abeundi.

XII. *Doctrina septima*. Sacrificium quadruplex assignari solet ex quadruplici fine scil. Recognitione supremi dominij; Gratiarum actione pro acceptis beneficijs; Petitione beneficiorum novorum; & Expiatione peccati. Hinc primum Sacrificium est *Læviticum*, quo testamur, nos esse fervos Dei, cui omnia debemus. *Secundum* Eucharisti-

charismaticum, quò ostendimus nos gratos pro acceptis beneficijs. Tertium *Impetratorium*, quo petimus nova beneficia. Quartum denique *Propitiatorium*, quo studemus DEUM placare, ut nobis peccata nostra condonet. Porro Sacrificium in ordine ad DEUM est Lauteuticum: in ordine vero ad hominem Eucharisticum, variòsque hinc affert fructus. *Primus* est isque maximè proprius & immediatus Satisfactio pro pœnis post remissa peccata restantibus, pro quibus offeruntur DEO merita & satisfactiones Christi in cruce præstitæ. Hic effectus est infallibilis, si non adsit obex in eo; pro quo Missa offertur, ut teste Arriaga D. 51. num. 12. communiter omnes fere docent Theologi, idque non tantùm respectu vivorum, sed etiam mortuorum; siquidem ad utroque æquè se extendit potestas Christi, qui hoc Sacrificium instituit; quamvis Scotus, Canus & alij apud Dicastillo D. 2. num. 50. de mortuis negent. Sed dicit potest, licet non semper tota pœna temporalis remittatur, semper tamen remitti aliquid, nisi adsit obex (etenim peccatoribus in peccato mortali hærentibus nulla pœna etiam venialium peccatorum remittitur) & quidem ex opere operato ut habet communis jam sententia Theologorum apud Tannerum Tom. 4. Disp. 5. Quæst. 9. n. 95. Intelligenda autem est hæc remissio de pœnis alterius vitæ, non præsentis; quia DEUS crebrò immittit temporales pœnas v. g. bellum, pestem, famem &c. quæ nullis Sacrificijs tolli possunt, ut docent experientia; quippe DEUS ad suam gloriam & aliorum salutem censet necessarium statuere exemplum justitiæ. Præter hanc extinctionem pœnæ temporalis per modum satisfactionis extinguitur etiam aliquid ejusdem pœnæ per modum impetrationis, eo quod à DEO petatur ea remissio, ut cum alijs tenet Lugo Disp. 19. n. 148. quamvis universim impetratio non habeat infallibilitatem, sicut sacrificium, siquidem non ita expeditur. Et hanc impetrationem verari puto circa pœnam temporalem sive circa hujus sive alterius vitæ, cum non minus illam, quam hanc petere possim. *Secundus* est remissio culpæ tam mortalis, quam venialis, sed utriusque tantùm mediata, quatenus scilicet impetrat gratiam actualem ad eum actum supernaturalem, quo remitti illæ solent. Ita plures Theologi, quos citat & sequitur Dicastillo D. 3. n. 13. & 31. Nam non habemus ullum fundamentum vel ex voluntate Christi, vel ex Concilijs & Patribus aliud sentiendi, ut bene Arriaga loc. cit. n. 6. Ob quam etiam causam communis sententia hujusmodi effectum infallibilem esse negat.

XIII. *Tertius* est augmentum gratiæ Sanctificantis, qui tamen fructus non immediatè ex hoc Sacrificio sequitur (immediata enim productio gratiæ Sanctificantis propria est Sacramentorum) sed mediatis auxilijs actualibus ad exercenda opera meritoria obtinetur: nec sequitur infallibiliter; quia per vim Sacrificij non semper confertur gratia efficax, sed subinde merè sufficiens, abundantior tamen, quam necesse foret, ut docet experientia, quia non semper boni & meliores fiunt, pro quibus sacrificatur. Videatur Tanner loc. cit. n. 93. *Quartus* denique est bonorum Spiritualium & temporalium impetratio; ut SS. Patres & Scholastici frequenter docent, & declarat usus & consuetudo universæ Ecclesiæ, quæ hoc

Sacrificium offert pro quibuscunque hominum necessitatibus. Nam si DEUS Judaica sacrificia adeo honoravit, ut Hierosolymis in probatica piscina (ubi boves lavabantur, & quò sordes victimarum ex altari per occultos meatus derivabantur) quot annis certo tempore per aquæ fluctuationem indicato primum quemque quovis morbo laborantem miraculosè sanaret. Joan. 5. quanto plus tribuet Sacrificio Missæ, in quo DEI Filius immolatur? id certè plurima & quotidiana miracula testantur. Ut nihil dicam de morbis curatis; ingentes victorias missæ beneficio reportatas à Justino contra Persas, & à Rege Angliæ contra Danos, refert Baronius Tom. 7. & 10. Notant tamen Suarez D. 79. sect. 2. Dicastillo loc. cit. n. 56. & alij hunc effectum & fructum non esse infallibilem ex opere operato, sed per modum impetrationis, quæ teste experientia sæpe differtur in tempus opportunum, cum tamen remissio pœnæ temporalis, quam diximus infallibilem, statim completà essentiâ Missæ Sacrificij confertur; quia non est ratio differendi. His accedunt alij effectus ex opere operantis, nempe ex fide & devotione Sacrificantium & assistantium Sacrificio, qui sicut alijs bonis operibus pro peccatis satisfaciunt; gratias merentur, & varia beneficia obtinent, ita piâ celebratione vel auditione Missæ tanquam insigni bono opere similia præmia impetrant. Cætera verò, quæ de Sacrificio tractari solent, extra forum Controversiarum sunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XIV. *Error primus* est, Missam non esse Sacrificium, sed recens Pontificiorum commentum, idololatriam, blasphemiarum opus; notam Ecclesiæ Anti-Christianæ, Sacrificij ac Passionis JESU Christi abnegationem. Ita Calvinistæ apud Petrum Molinæum in novo Papatu à fol. 981. & rursus fol. 1186. Et apud Amelium cont. Bellarm. à fol. 158. Item Lutherani universim apud Gerhardum in Confess. August. Part. 2. à fol. 115. Nominatim verò ex istis præservide Sacrificium Missæ oppugnat duabus vicibus primò latine; dein vernaculo sermone Jacobus Reihing suam inde apostasiam obrecturus; sed expalliatum est turpis Apostata à P. Simone Felice in lib. contra ipsum scripto Disp. VIII. Præjuerunt olim circa annum Christi 1050. Bogomiti, qui illam dæmonum in Ecclesijs habitantium sacrificium vocarunt: Alias ante Wicleff, Lutherum & Calvinum non est ullum reperire; qui missæ sacrificium factis & scriptis oppugnârit. Fateretur etiam ipse Lutherus in Lib. de privato usu Missæ anno 1534. edito, se à diabolo edoctum fuisse, quod Missa esset abominatio, idque non per somnium, sed cum vigilet. Probant 1. Quia à nullo Evangelista ponitur expressè vocabulum illud *Sacrificium*. Ergo Christus non instituit ullum Sacrificium. 2. Christus semel tantùm oblatum est, & unicâ oblatione omnia peccata expiavit, ut apertis verbis affirmat Apostolus Heb. 9. vers. 28. Ergo non debet amplius

plius offerri; etenim vel frustraneum est missæ sacrificium, vel certe Sacrificium Crucis non sufficit. 3. Christus est Sacerdos in æternum Psal. 109. v. 4. Ergo in Sacerdotio nullum habet Successorem. Ergo nulli nunc sunt Sacerdotes in in terris, ac proinde nulla Sacrificia. Confirmant ex Apostolo ad Hebr. 7. v. 21. ubi ait, ideo in veteri Testamento plures fuisse Sacerdotes, quia singuli eant mortales: Christus autem est immortalis, ideoque non indiget Successoribus. 4. *Sine sanguine non fit remissio*, ut ait S. Paulus ad Hebræ. 9. v. 22. Ergo non potest esse sacrificium incrementum: aut si fit, non poterit remittere peccata. Porro contra fundamenta nostra insurgunt, & omnibus modis subvertere ea moluntur. Sed has illorum machinas commodiùs proponemus & disiciemus, si prius præsentibus probationes dissoluerimus. Itaque.

XV. Error iste pestilentissimus, si etiam nulla contra eum clara Sac Scripturæ testimonia extarent, vel ex solo consensu Ecclesiæ & Patrum longissimè rejiciendus esset; siquidem consensus iste omnibus retro sæculis talis ac tantus est, ut nemo nisi omnino in veteribus monumentis peregrinus dubitare de illo possit, nec inficiari eundem Lutherus & Calvinus audeant; undè prior in Lib. de abroganda Missa sic scribit: *profiteor imprimis adversus eos, qui clamaturi sunt, quod contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Et in Lib. de Missa: *hic non moramur, si clamitant Papista, Ecclesia Ecclesia! Patres Patres! quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus, scimus ipsos etiam Prophetas lapsos fuisse atque adeo Apostolos: posterior verò ex illis Lib. 4. Instit. cap. 18. S. 1. hæc habet: pestilentissimo errore Satan totum pene orbem excæcavit, ut crederet Missæ sacrificium.* Et infra S. 32. *non est, cur ullà hominum auctoritate vel annorum præscriptione patiamur nos moveri.* Mira & planè indigna res! Lutherus & Calvinus non volunt ullà hominum auctoritate moveri ne quidem Prophetarum & Apostolorum, & tamen ipsi suà auctoritate volunt alios moveri, quasi non homines essent, sed Dij. Verùm missa horum tenebrionum temeritate atque arrogantia, non credimus, tot Sanctissimos Patres tradere voluisse, quod ignorarant, & Ecclesiam cum illis per tot sæcula à DEO derelictam in re tam gravi aberrasse: non credimus, tot viros vitæ integritate, doctrinâ, ac miraculis illustrissimos sacrilegos extitisse, & idololatriam commississe: non credimus, hoc dogma nulli ex tot & tantis DEI servis & Amicis, sed soli Luthero & Calvino hominibus omnium trupissimis fuisse revelatum. At Satan orbem excæcavit. Quæ lingua nisi fatanica (qualis in ore Calvini foedet) effutire istud audeat? DEUS ac Dominus noster JESUS Christus in Ecclesia sua SS. Missæ sacrificium ordinavit: Diabolus in secta Lutheranorum & Calvinistarum id ipsum abrogavit, postquam infernalis ille spiritus fallaci ingenij sui arte Lutherum in disputatione de Missa superavit, & per hunc ac Calvinum alterum sibi charum discipulum velut apertissima diabolicæ suæ machinationis instrumenta mundo persuasionem istam de abroganda Missa importavit, scilicet ut ita maximum cœlestium bonorum thesaurum miseris mortalibus suffuraretur. Sed quis adeo habetis est intellectus, ut nequissimæ hujus fraudis & abominandi dogmatis impietatem non clarissimè perspiciat? Nam si Sa-

crum Missæ sacrificium esset DEO exosum, Christo inivrosium, ac hominibus noxium & detestabile, an non abiuratus istorum hostis diabolus potius omnibus modis ad illius impietatem impelleret? omnibus machinis illius abominacionem absconderet? ac devotionis coloribus illud oblineret verborumque fucis extolleret? ut pro suo inexplicabili odio ac rancore sic magis magisque DEUM inhonoraret, Christum, ejusque sanctissimam Passionem iniuriaret, atque hominum peccata accumularet? Unde jam olim vir quidam doctrinâ ac pietate insignis è Religiosorum S. Bernardi Familia ad Lutherum scripsit in hunc modum: *Si Missa abominatio esset, ut tu blasphemias, an putas, diabolum contra eam disputaturum, & ad eam abolendam argumenta subministraturum? an non potius omnibus modis stabiliturum magisque confirmaturum fuisse? Videantur Florim. Remundus L. 1. de Orig. hæres. cap. 15. & DD. à Walenburch Tom. 2. à fol. 31. ubi affirmant 1. Reformatos in Anglia constituere in multis eundem ordinem Missæ, qui à Catholicis observatur, 2. Joannem Huss tenuisse sacrificium Missæ, & quidem propriatorium pro vivis ac defunctis, 3. Ecclesiam Orientalem, uti semper olim, ita nunc quoque eandem de missa doctrinam fervare, atque liturgiam vocare 4. denique Missam ob antiquitatem & auctoritatem Conciliorum ac Patrum negari à Protestatibus non posse. Argumenta, quibus Adversarij errorem suum probare nituntur, nullius prorsus sunt momenti, nec difficilius quam fumus in aura dispelluntur.*

XVI. Resp. ad primum. Negando consequentiam. Nam Evangelistæ in tota etiam institutione Eucharistiæ nunquã posuerunt hoc vocabulum *Sacramentum*, sequitur inde, Eucharistiam non esse Sacramentum? minimè sanè. Quemadmodum ergo sufficit ad Sacramentum, quod ibidem omnia ad Sacramentum requisita inveniuntur, sic etiam sufficit, quod hic omnia ad sacrificium necessaria reperiantur, Respon. ad secundum. Negando iterum consequentiam. Nam tametsi sacrificium crucis & sacrificium missæ juxta dicta sit unum idemque sacrificium quoad substantiam rei oblatæ, scilicet Christi, quoad effectum tamen ingens inter illa est discrimen, quod Christus in actu primo sufficienter nobis per sacrificium crucis promeruerit remissionem omnium peccatorum: in sacrificio verò missæ nihil amplius mereatur, sed tantum applicet antiqua merita in actu secundo ad eum fere modum, quo hic Romæ & alibi in montibus pietatis sufficiens pecunia deponitur soluendis omnium pauperum debitis, quæ tantem reipsâ non solvuntur, nisi pauperes legitimo modo sua debita indicent, & pecuniam mutam impetrent; Ita, inquam, Christi merita in passione exercita sufficiunt quidem in actu primo ad omnia peccata delenda, sed reipsâ non delent nisi per Sacramenta & sacrificia applicentur. *Instant heretici, virtutem illam posse applicari per alia media. Est verissimum. Sed cur non etiam per sacrificium? certe valde congruum fuit inter alia media institui aliquod sacrificium, quod sit memoriale sacrificij crucis in cruce peracti, cuiusmodi est sacrificium altaris, quod duo præter alia habet. 1. quod sit sacrificium. 2. quod sit representativum sacrificij crucis præteriti, sicut Agnus Paschalis erat verum sacrificium, & simul representatio sacrificij in cruce peragendi.* Unde

Unde apparet, nec sacrificium Missæ esse frustraneum, nec sacrificium crucis insufficientis. Nam Christus obtulit unicuique sacrificium meritum & satisfactorium infinitæ virtutis omnia peccata expiandi, & homines sanctificandi: plura autem ordinavit applicatoria; licet enim in vltima cœna consecrando etiam meruerit, quia adhuc erat viator, attamen nunc gloriosior nihil amplius meretur, tantum applicat antiquas satisfactiones & merita; ratione prioris sacrificium Missæ non est frustraneum, nisi etiam fidem, baptismum, Eucharistiam & similia, per quæ Christi merita nobis in particulari applicantur, frustranea dixeris: ratione posterioris idem sacrificium Missæ nihil derogat sacrificio Crucis, sed huic relinquit omne meritum & satisfactionem atque infinitam vim ac virtutem ad omnia peccata exhaurienda, ut ait Sac. Scriptura supra cit. & homines sanctificandos.

XVII. Respon. ad tertium. Aliud esse, Successorem constitui alterius: aliud fieri ministrum seu Vicarium; Prior est ejusdem dignitatis cum eo, cui succedit, non autem posterior. Sacerdotes non succedunt Christo in sacerdotio, sed tantum ejus agunt vices, ut ex ipsis verbis consecrationis patet; loquuntur enim in persona Christi: Hoc est Corpus meum. Itaque solus Christus est primarius Sacerdos, cæteri vero omnes ejus Ministri & Vicarij sunt; quod sufficit ad discrimen veteris testamenti, ubi prioribus defunctis alij Sacerdotes nomine suo sacrificantes succedebant. Respon. ad quartum. Huic argumento satisfactum jam esse supra §. 7. ubi diximus, ad sacrificium non requiri physicam immutationem. D. Paulus Hebr. 9. v. 22. egit de Lege Veteri, non Christiana; in illa enim peccata non remittebantur nisi per effusionem sanguinis hircorum, & aliorum animalium. Si tamen Adversarij contendunt, etiam de nova lege agere Apostolum, tunc sequetur contra illos per Fidem justificantem, quæ adeo jactant, nullâ fieri peccatorum remissionem, cum per eam nulla fiat sanguinis effusio. Demum si de veteri sive de nova lege dictum illud Pauli sit, de utraque tamen sic intelligi potest, & verò debet, quod in neutra fiat remissio peccatorum absque effusione sanguinis Christi, qui si effusus non fuisset, peccator in neutra lege Deo reconciliari posset. Nam sicuti sanguis Christi effusus per animalium sacrificia veteribus applicabatur, ita etiam in lege nova idem Christi sanguis effusus per sacrificia incruenta Missæ & Sacramenta nobiliori modo nobis applicatur. Ex quo clarè patet, quod jam supra diximus, nullam nos injuriam Christo facere, sæpius offerendo missæ sacrificium, quantumvis ipse abunde pro nobis satisfecerit; siquidem nullam injuriam illi in lege antiqua faciebant, licet Christus ipse pro illis plenissimè satisfactorus esset.

XVIII. Nunc videamus, quibus machinis fundamenta Doctrinæ nostræ subvertere nitantur Adversarij. Primum erat ex Psal. 109: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quod in formam redactum sic habet. Quemadmodum sacrificavit Rex Melchisedech, ita etiam sacrificavit Christus juxta citatum psal. Sed Melchisedech sacrificavit in pane & vino. Gen. cit. Ergo etiam Christus sacrificavit in pane & vino, quod tamen nusquam alibi fecisse legitur, nisi in consecratione Eucharistiæ. Hæretici negant hujus Syl-

logismi Majorem & Minorem. Majorem quidem quasi similitudo inter Christum & Melchisedech non consistere in ritu & modo sacrificandi panem & vinum, sed in quibusdam alijs circumstantijs. Probant 1. ex S. Paulo ad Hebr. 7. ubi ex instituto tractans de hac similitudine nullâ prius mentionem facit illius sacrificij, sed aliarum prærogativarum Melchisedechi, nempe Nominis, Generationis, Benedictionis, Decimationis &c. sic enim loquitur cap. 6. in fine: *JESUS secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.* Et deinde c. 7. vers. 1. *Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos DEI altissimi, qui obviam Abraham regresso à cade Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium divisi Abraham.* In quibus verbis habentur hæc comparationes 1. interpretatio nominis Melchisedech, 2. Rex salem, id est, Rex pacis. 3. Generatio sine expressione Patris aut Matris, nec indicato sine vitæ, quasi æternus fuisset non habens initium dierum; neque finem vitæ; & in hoc assimilatus est Filio DEI; qui manet sacerdos in æternum. 4. quod Abraham illi decimas spoliarum dederit, eumque benedixerit, hoc ipso se majorem indicans. In quo discursu Pauli nulla prorsus mentio fit sacrificij panis & vini, quod sanè non fuisset omitendum, si in ea præcipua ratio similitudinis consisteret. Probant 2. Quia consecratio Eucharistiæ & oblatio panis & vini à Melchisedech facta prorsus sunt distincta. Nam Christus juxta Catholicorum sententiam panem & vinum substantialiter convertit in suum Corpus & sanguinem: non item Melchisedech nisi post longam digestionem? itaque in modo sacrificandi non potest constitui similitudo sacerdotij Melchisedech & Christi. Probant 3. Si similitudo Melchisedech & Christi consisteret in oblatione panis & vini, non esset ratio, cur Christus potius secundum Melchisedech, quam secundum ordinem Aaronis nominaretur; cum etiam Aaronici sacerdotes panem & vinum obtulerint; ut constat ex Levit. 21 v. 8. & c. 23. v. 13. de panibus propositionis & libamenti vini. Minorem verò ejusdem sullogismi nostri negant triplici ex causa. *Prima.* Quia non constat, Melchisedechum fuisse propriè dictum sacerdotem; quamvis enim Genes. 14. vocetur sacerdos, tamen Nomen sacerdotis in SS. litteris crebrò impropriè sumitur pro eximio Principe & Magnate, ut patet ex lib. 2. Reg. c. 8. ubi Filij Davidis vocantur *Sacerdotes*; & tamen non fuerunt propriè sacerdotes, quia non erant ex tribu Levi, de qua sola tunc sacerdotes assumebantur. Itaque Interpretes etiam Catholici nomen sacerdotis impropriè accipiunt pro primarijs Principibus in aula Davidis. *Secunda.* Quamvis concederetur, Melchisedechum fuisse propriè dictum sacerdotem, tamen non sequitur, istum sacrificasse in pane & vino, neque id evincitur ex verbo Genes. 14. v. 18. *protulit panem & vinum, erat enim sacerdos altissimi DEI;* quia in hebraico non habetur vocula causalis enim (in qua tota vis argumenti ponitur) sed tantum copulativa: & erat sacerdos Altissimi. Sed admittenda etiam causalis vocula enim, ea non est referenda ad præcedentia, quasi ideo protulerit panem & vinum, quia erat sacerdos; sed ad sequentia, scilicet Benedixit ei (Abreha) quia erat sacerdos. *Tertia.* Quia Melchisedech non potuit sacrificare panem & vinum, siquidem requiritur ad sacrificium substantialiter mutatio rei oblatæ panis & vini.

vini; vel enim fuisset coctio panis & vini, vel eorum comestio & bibitio; sed non prius, alioquin pistores & coci in furno & eulina sacrificassent: nec posterius, alioquin milites Abrahamæ, quibus post prælium refocillandis panis & vinum oblata sunt, comedendo & bibendo sacrificassent, non ipse Melchisedech.

XIX. Ilte est discursus Calvini, Kemnitij, & aliorum apud Card. Bellarminum Lib. 1. de Missa. c. 6. cui discursui insunt Amesius, Gerhardus, Molinæus; Hanneken, Reihing & Recentiores Sectarij. Unde clarè perspicitur, nullum Scripturæ tam clarum locum esse, quem hæretici corrumpere, detorquere, & pervertere non audeant. Et quamvis allata argumenta videri possint speciosa, sunt tamen mera deliramenta. Itaque alatum textum ex Genesi 14. de Sacrificio Melchisedechi, & de Christi sacrificio in pane & vino figurato intellexerunt non solum antiqui Ecclesiæ Doctores, sed etiam Judæi. Testimonia antiquorum Rabinorum refert Bernardinus Vetweis in Speculo veræ Eccles. fol. 710: Patrum verò Latino- rum & Græcorum ordine temporis Bellarm. loc. cit. Sufficiat unicus Clemens Alexandrinus circa annum 200. lib. 4. Stromat. non procul à fine Melchisedech, ait, *Rex Salem Sacerdos DEI altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Ecclesiæ &c.* ubi Sanctus ille Pater paucis oronia complexus est 1. quod Melchisedech Sacerdos panem & vinum Sanctificaverit, quod fit per oblationem Sacrificij. 2. quod illa jam oblata Deo & sic sanctificata dederit Abrahamæ & Socijs in nutrimentum non tantum corporis, cum Abraham aliunde haberet, sed in participationem sacrificij. 3. quod hæc facta sint in typum & præfigurationem Eucharistiæ, sicut Eucharistia DEO offertur, & postea Fidelibus in nutrimentum spirituale datur. Unde rectissimè Concilium Tridentinum hunc pestilentissimum errorem Sess. 22. can. 4. his verbis damnat: *Siquis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi sacrificio in cruce peccato, aut illi in hoc derogari, Anathema sit.* Jam ad negationem Majoris, & ad 1. hujus negationis probationem. Dicimus non esse mirum, quod Apostolus ad Hebr. nullam fecerit mentionem sacrificij, quia non conducebat ad ejus finem & scopum. Nam Judæi quidam cum à fide defecissent, alij verò vacillassent pluris facientes Abraham & Aaron, quam Christum, voluit Apostolus illis ostendere excellentiam Christi supra dictos proceres; ad quod non faciebat similitudo Sacrificij, cum veteres multò nobiliores hostias obtulerint, quam Melchisedech panem & vinum. Ita post alios Interpretes Tirinus ad finem cit. cap. Itaque relicto sacrificio dignitatem Personæ sacrificantis ex varijs circumstantijs elicuit; reliquit autem sapienter sacrificium, quia Hebræi nondum satis capaces videbantur Paulo tam sublimis mysterij, ut supra indicavit c. 5. v. 11. Ad 2. sufficere ad similitudinem inter Christum & Melchisedech, quod externa oblatio panis & vini, in quantum visibilis, convenerit, quamvis occultæ mutationes longè dispares fuerint. Ad 3. Sacerdotes Aaronicos nunquam panem & vinum simul tanquam unum principale & adæquatam sacrificium obtulisse, uti Melchisedech, sed seorsim panem, seorsim vinum, & quidem ut accidentale condimentum Sacrificij, ut bene observat Bellarminus c. 6. cit.

XX. Quoad Minorè Syllogismi nostri ab Adversarijs rejectam. Dicimus 1. negari non posse, Melchisedech fuisse propriè dictum Sacerdotem ad offerendum DEO destinatum; etenim hebraicum verbum *cohen* magis propriè & sæpius Sacerdotem, quam Principem, nec nisi uno alterove loco istum designat, scil. 2. Reg. 8. cit. & Isaiæ 61. v. 6. quamvis etiam illis locis latinus Interpres Sacerdotes verterit, neque incongruè, ut Ibidem ostendit Tirinus, sed centenis alijs illud *cohen* usurpatur pro Sacerdote. Et ita hunc locum explicant S. Paulus ad Hebr. c. 7. cit. & LXX Interpret. ac Patres, atque Judæi. Et quid novi diceret Moyses, si quem antea vocarat Regem, jam Principem faceret? aut quæ ratio offerendi DEO, aut proferendi panis & vini, quia Princeps erat? neque enim Principis est, sacrificare, sed Sacerdotis spirituali jurisdictione præditi. Dicimus 2. Tò Et copulativum apud Hebræos sæpissimè pro causali enim usurpari, ut hæretici inane inde quærant effugium. Unde etiam vers. 19. subditur: *benedixit ei, Melchisedech Abrahamo, major minori, & dicimus ab Abrahamo accepit, scil. intuitu sacrificij sui & sacri ministerij, quo publicè fungebatur.* Cum igitur constet, Melchisedech fuisse propriè dictum Sacerdotem, & ideo protulisse panem & vinum, negari non potest, eum sacrificasse panem & vinum; alioquin Sacerdotium non fuisset causa proferendi ad refocillandos milites prælio fessos, quod quilibet profanus hospes præstare poterat. Vanum iterum est refugium, quasi prædicta verba, *protulit panem & vinum*, referrentur ad sequentia, *benedixit ei*; etenim sequitur sensus terminans, & æquivalens nostro puncto. Ergo referri non possunt ad sequentia, sed referri debent ad antecedentia, erat enim Sacerdos altissimi DEI. Dicimus 3. Melchisedechum potuisse sacrificare panem & vinum, etsi Scriptura non exprimat, quomodo sacrificaverit, ideòque variæ de eo sint opiniones. Vasquez in 3. Part. D. 220. n. 28. putat, ipsum Regem Melchisedechum coxisse panem, & sic coquendo sacrificasse. Cornelius à Lapide in c. 14. Genes. censet, aliquam panis partem ab eo fuisse combustam, & sic substantialiter immutatam: reliquum militum refectioem permisit. Probabilius est, quod Becanus Tom. 2. Opusc. 1. L. 2. c. 1. docet, panem discicando, vinumque effundendo sacrificatum fuisse, atque ad rigidam sacrificij rationem non laxigi substantiæ corruptionem, ut jam supra diximus.

XXI. Alterum nostrum fundamentum erat ex prædictionibus Malachiæ aliorumque Prophetarum desumptum, qui vaticinati sunt, ubique terrarum etiam inter Gentiles DEO vero sacrificatum iri, quod intelligi non potest de sacrificijs Judaicis, quæ extra templum Jerosolymitanum offerre non lieuit, ut constat ex Num. 14. & 15. Et Deuteron. 12. v. 5. Ergo debet intelligi de Sacrificijs Christianorum, quæ non sunt alia, quam Eucharistica. Opponunt huic hæretici, Malachiam cæterosque Prophetas non de formali & propriè dicto sacrificio locutos fuisse, sed tantum de spirituali & impropriè dicto, scil. pro quolibet honore & cultu divino. Probant 1. auctoritate Apostoli ad Rom. 15. v. 16. ubi suas conciones, quibus gentes ad fidem converterat, vocat oblationes & sacrificia his verbis: *ut sim Minister JESU Christi in Gentibus sanctificans Evangelium DEI, ut fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu*

Sancto; cui concordant Patrum interpretationes. Tertullianus L. 4. contra Marcionem c. 1. adductum locum Malachiae sic exprimit: *In omni loco sacrificium Nomini meo offertur, scil. oratio simplex de conscientia pura.* Et Lib. 3. c. 22. *Sacrificium mundum, scil. Gloria relatio, Benedictio, Laus, Hymni.* Hieronymus in Comment. Malachiae per incensum intelligit orationem; dum ait, *offerri DEO hostiam mundam in ceremonijs Christianorum.* Probant 2. Nomen Sacrificij apud Malachiam non posse proprie sumi. Tum quia vox hebraica *Mincha* non significat panem & vinum, sed simillam oleo conspersam. Tum quia si in hujusmodi prophetijs omnia essent proprie accipienda; tunc deberent Christiani quot annis ire Jerosolytham ad celebrandum festum Tabernaculorum; sicut praedixit Zacharias c. 14. v. 16. *omnes, qui reliqui fuerint ab universis Gentibus ascendant ab anno in annum, ut adorent & celebrent festivitatem tabernaculorum;* quod tamen non fit à Christianis. Probant 3. ex ipsis verbis Malachiae patere, eum non loqui de sacrificio Missae; quippe loquitur in praesenti tempore: in omni loco offertur Nomini meo oblatio munda. Sed tunc temporis, cum haec scriberet Propheta; nondum erat sacrificium, neque adhuc offerebatur in omni loco, sed tantum in templis & sacris Altaribus.

XXII. Huic Adversariorum oppositioni adversatur; eamque elidit, quod vaticinium Malachiae Ecclesia Catholica semper ac perpetuo de SS. Missae sacrificio interpretata fuerit, ut certo constet ex unanimi Patrum consensu, quos ordine temporis refert Bellarminus Lib. 1. de Missa. cap. 10. Sufficiat hic unus & alter. Justinus Martyr in dialog. cum Triphon. ait: *de nostris Gentium, quae omni loco offeruntur, sacrificijs, hoc est, pane Eucharistiae & poculo similiter eucharistico jam tunc locutus Malachias praedixit; nos quidem glorificare nomen hujus: vos autem prophanare.* D. Augustinus in oratione ad Judaeos c. 9. post verba Malachiae recitata: *aperite, inquit, oculos iandem aliquando, & videte ab oriente sole usque ad occidentem non in uno, sicuti vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum.* Haec verba clariora sunt; quam quae in alium sensum detorqueri possint; utur aliàs solenne sit Novatoribus ad declinandam argumentorum vim confingere ad improprietatem verborum: vel ad textum hebraicum, at frustra. Dicimus itaque ad t. D. Paulum ad Romam. non explicare Malachiam; unde non sequitur, si Paulus nomen sacrificij improprie sumpserit, etiam Malachiam sic accepisse. Tertullianus & Hieronymus non litteraliter sed mystice interpretati fuerunt Malachiam, interim non negantes sensum litteralem; Nam si, ut S. Basilius hom. 10. in hexameron ait, *blasphemia est putare, aliquid in Scriptura esse verbum otiosum;* existimare non debemus, ratione vacare, quod Propheta non tantum dixerit, in omni loco sacrificatur, aut offertur, sed duplici verbo usus est *sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda;* ut intelligeremus, de utroque sacrificio locum esse accipiendum; sicuti apertius LXX. verterunt: *in omni loco incensum offertur Nomini meo; & sacrificium mundum;* ubi licet incensum Tertullianus, Irenaeus, & Hieronymus interpretantur orationem, per sacrificium tamen intelligunt Eucharistiam, quod ipsum Eucharisticum sacrificium dicti Patres clare tradunt alibi. Tertullianus Lib. de

orat. c. 14. ubi communionem vocat *participationem sacrificij.* Irenaeus Lib. 4. c. 34. *in novo Testamento novam oblationem esse asserens.* Et Hieronymus in cap. 11. Provèrb. *affirmans; defunctos juvari missarum celebrationibus.* Videri potest Bellarm. L. 1. de Missa. c. 10. cit. Dicimus ad 2. vocem hebraicam *Mincha* non tantum significare certam speciem Sacrificij ex simila & oleo confecti, ut volunt nonnulli, sed generatim quodlibet sacrificium, ut constat ex dictionarijs hebraicis; imò generatim quodlibet donum etiam profanum vocatur *Mincha.* Et licet ista vox etiam sumeretur speciatim pro sacrificio ex pane vel farina, tamen accedente libamine vini typus erat sacrificij novae legis Eucharistici. Videatur Tirinus in cit. locum Malachiae. Festum Tabernaculorum à Zacharia loc. cit. non sumi proprie, sed figurate & mystice pro conventu Christianorum in suas Ecclesias, cujus figura fuit concursus Judaeorum in Hierusalem; inde tamen non sequitur; etiam Malachiam nomen oblationis & Sacrificij improprie sumpsisse, quia hic nulla necessitas cogit ad improprietatem deflectere, sicut apud Zachariam; quandoquidem lex Judaica ejusque festa & ceremoniae à Christo sunt abrogatae. Dicimus ad 3. apud Prophetam Malachiam non esse verbum praesentis temporis, quod tamen Interpretes recte per praesens explicarunt; quia Prophetis familiare est, de futuris tanquam de praesentibus loqui ob certitudinem eventus, sicut David Psal. 109. de Christo ait: *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* cum tamen Christus nondum fuerit; sed futurus esset. *Omnia autem loca à Malachia non sumitur pro singulis generum, sed pro generibus singulorum id est, pro omnibus regionibus, sicuti dicimus, aliquem omnia regna peragrasse, licet non omnes urbes lustraverit, ita Christiani in omni loco sacrificant;* hoc est, in omnibus mundi plagis, non in omni loco particulari. Urget Herbrandus contra Missam n. 75. ajens, à Catholicis; ut futuritionem asserant; depravari textum; quippe non habetur in eo oblatio nova, sed munda. Negamus ullum Doctorem Catholicum immutare textum, sed Patres novam substituere pro munda, idque bene, quia tevera novum est sacrificium, quod veteri vi prophetiae succedere debebat. Verba formalia Patrum videri possunt apud Valentiam Tom. 4. D. 6. Q. 11. pun. 1. §. 13.

XXIII. Tertium. Fundamentum nostrae doctrinae erat desumptum ex epist. D. Pauli ad Hebr. cap. 13. vers. 10. ubi dicitur: *habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Unde sic conclusimus; Christiani habent Altare verum & distinctum ab altari Judaeorum & Gentilium, de quo edendi isti non habent potestatem. Ergo etiam habent veram sacrificium. Antecedens patet ex Sacra Scriptura; & eam sic intelligunt D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Sedulius & passim Doctores. Consequentia petet inde; quod Altare & Sacrificium, Victima & Sacerdos sint correlativa. Dicunt Sectarj, per Altare & sacrificium intelligi altare & sacrificium Crucis. Sed de hoc jam ante annos mille & sexcentos paraeto quomodo edemus? Taceo Ecclesiam Catholicam, omnesque Patres praedictum Sacra Scripturae textum semper intellexisse de Altari distincto ab altari Crucis; unde Augustin. Lib. 22. de Civit. c. 10. scribit: *Non erigimus Altaria, in quibus*

bus Sacrificamus, Martyribus, sed uni DEO & Martyrum & nostrum Sacrificium immolamus: ipsum verò Sacrificium Corpus Christi est, quod non offertur ipsis.

XXIV. *Quartum* denique & ultimum fundamentum nostrum erat gemina ratio; quarum neutram attingunt Sectarij, tacite concedentes, præter morem omnium Gentium se absque Sacrificio esse, quod aperte etiam fatentur eorum Prædicantes seu Ministri, dum in publicis suis libris affirmant, se Sacerdotes non esse. Ubi autem Sacerdos non est, Sacrificium etiam non sit, aporteret. Dicit quidem Confessio Augustana art. 3: *Retinetur Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur.* Eadem habet Apologia. Sed lepide. Si Missa retinetur apud vos, ubi ergo manet Sacrificium apud vos? ubi Sacerdotium? ubi cætera, quæ de hoc Sacrificio adduximus? in cæna enim tantummodo Sacramentum, non etiam Sacrificium fuisse institutum à Christo, longè falsissimum est. Erat ibi, inquit D. Augustinus Lib. 7. de Civit. DEI. c. 20. de cæna loquens, *sacrificium secundum ordinem Aaron: Et postea de Corpore & Sanguine illo instituit Sacrificium secundum ordinem Melchisedech &c.* sed de hoc satis in superioribus.

XXV. *Error secundus* est eorumdem Hæreticorum contra cæremonias Missæ, quas irridunt, & subannant partim ut Judaicas, partim ut mimicas gestulationes; Nam candelabra, lampades, thuribula, incensa &c. à Judæis sumpta esse, fatetur Durandus Lib. 3. Rational. cap. 1. cum tamen Christus veterem Legem pridem abrogaverit, usum prohibuerit, teste Apostolo ad Coloss. 2. & ad Hebr. c. 7. 8. 9. & 10. Manuum verò jactationes & discursus ab uno latere ad aliud histrionem potius decent, quàm sacerdotem; certe Christus in institutione Eucharistiæ nullam talem ritum adhibuit. Ergo nec nos ejus testamento (sic enim vocat hoc Sacramentum) quidquam superaddere debemus, cum dicat Apostolus ad Gal. 3. v. 15. *hominis testamentum morte confirmatum nemo spernit aut superordinat.* Errori huic opponit se Concilium Tridentinum de cæremonijs, quas Ecclesia essentia sacrificij tanquam adjuncta devotionis adjunxit, sic loquens Sess. 22. c. 5. *Cum natura hominum ea sit, ut non facile sine admixtione exterioribus ad divinam meditationem suscoli queat; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quadam submissâ voce, alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit: cæremonias nem addidit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliæque id genus multa ex Apostolorum disciplina & traditione, quò & Majestas tanti sacrificij commendaretur, & Mentis Fidelium per hæc visibilia Religionis & Pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplatione excitarentur.* Unde frivola sunt, quæ oclamitant hæretici; alioquin pari ratione irrideri posset Baptismus à Christo institutus, cujus materia nimirum lotio etiam Judæis fuit usitata, siquidem ideo Salomon amplissimum vas aquarum (quod vocabatur mare æneum) in templum posuit, ne unquam deessent aquæ lotioni Sacerdotum 2. Paralip. 4. v. 2. & 6. Ethnicis quoque Baptismus ridiculus videbatur, quem histriones in comœdijs per ludibrium representabant, ut nominatim legitur de Genesio postea converso & Martyre. Nam doctissimus iste mimus, cum mores ritusque Christianos ad amissim perdidicisset, fabulâmq; oculis Diocletiani dare instituisse, repente cœlesti visu conversus Christum

inclamat, Christianum se jactat, & Martyrij palmam deportat, cujus memoria celebratur 25. Augusti. Itaque

XXVI. *Respon.* Ad 1. *argumentum!* cæremonias Judaicas earum à Christo abrogatas, ut non liceret eas formaliter usurpare tanquam veteri lege præscriptas & cum significatipne Christi venturi, prout à Judæis usurpabantur: interim non esse vetitas materialiter sub alia significatione Christi jam præsentis tanquam ab Ecclesia Catholica præscriptas; alioquin nulla festa nec jejunia forent licita; & quippe olim Judæis usitata. Ad hæc gestus & motus Sacerdotum tam graviter ac decenter in Missa fiunt, ut nemo nisi momus irridere valeat; imò eorum aspectu non solum Catholici ad pietatem, sed etiam nonnulli hæretici ad Fidem permoverentur, ut testatur experientia. Ad 2. Tametsi Christus in prima institutione hujus Sacramenti tales ritus non adhibuerit, tamen generatim insinuavit monendo, ut administratio hujus Sacramenti fieret in memoriam Passionis ejus; determinationem verò reliquit arbitrio Ecclesiæ celebrandæ ejus memoriæ pro varietate temporum & locorum. Ecclesia autem tales ritus determinavit, qui maximè idonei forent recolendæ memoriæ Passionis Christi, ut pluribus explicant Reginaldus Lib. 19. n. 33. Bernardinus Verweis in Speculo veræ Ecclesiæ à fol. 78. & alij. Nec semper impunè riserunt hæretici cæremonias Missæ. Jacobus Marchantius in Candelab. Myst. fol. 554. commemorat, in Hollandiâ Ann. 1574. quosdam sanniones per ludibrium cæremonias Missæ representantes subitò peste sublato.

XXVII. *Error tertius* est, Missam privatam abrogari oportere. Ita Lutherus lib. integro de abroganda Missa privata, quem deinde cæteri Novatores passim secuti sunt. Vocant autem Missam privatam tum eam, quæ celebratur in privato aliquo loco, oratorio, sacello, aut in ædibus etiam super altare consecratum: tum eam, quæ extra Dominicam, Festivæque dies fit, aut sine populi conventu: tum eam, in qua solus Sacerdos communicat. Fundamentum universale est, quod Missa substantialiter sit Cæna seu convivatio, non sacrificium. In specie hæc pro opinione sua afferunt. 1. D. Basilius in Psal. 115. ait. *Non ita latebris delitescens sacrificabo, sed publicum tibi exhibebo sacrificium.* Et ibid. scribit: *quod unum sit Altare Ecclesiæ. Idem dicunt alij Patres.* 2. In Concilio Meguntino can. 43. dicitur: *Nallus Presbyter, ut nobis videtur, missam solus recite cantare valet, quomodo enim dicet: Dominus vobiscum: vel sursum corda admonet habere, & alia multa similia his, cum alius nemo cum illo sit?* 3. Christus non instituit cenam suam, ut esset actio privata Sacerdotis & Sacrificij, sed communis totius Ecclesiæ. Ergo non est peragenda missa, in qua solus Sacerdos Consecrat & communicat. 4. In Jure Can. cap. Peracta Dist. 2. de Consecrat. habetur: *Peractâ consecratione omnes communicent, qui noluerint, Ecclesiasticis carere liminibus.* 5. Cum privatis missis mercaturam exercent, & lucra quærunt, ut affirmat Molinæus à fol. 1186. ludicre exaggerat.

XXVIII. *Errori huic* universim adversatur ratio Sacrificij, ad quam solum pertinet, ut Sacerdos offerat pro populo, vel alijs necessitatibus; quod fieri potest, etiam in privato loco & feriabili tempore extra dies Dominicos & Festos etiam sine populi præsentia, etiam quando ille, pro quo offertur

offerretur, de communiter oblati non manducatur. Speciatim contra eundem errorem sunt. Inprimis exempla Christi. qui primum Missam celebravit ac cenam instituit in domo privata: exempla Apostolorum, qui Act. 20. v. 7. circa domos frangebant panem; consecratio autem Panis & Eucharistiae ritu Catholicorum non fit extra sacrificium: exempla Pontificum Romanorum, qui tempore persecutionum celebrabant in cryptis & cavernis seu terrae latebris: exempla Patrum, & quibus D. Ambrosius in domo clarissimae feminae rogatus ab illa sacrificium obtulit, teste Paulino in eius vita. S. Callius Episcopus Narbonensis in Episcopio sui oratorio missam celebravit, quando ad Ecclesiam morbo impeditus accedere non potuit, ut refert Gregorius M. hom. 37. Et quid invidiosius, quam Episcopus (uti etiam Imperatores, Reges, ac Principes Christianos) habuisse oratoria domestica ad Missas celebrandas? Deinde testimonia SS. Patrum. D. Chrysostomus hom. 3. in Epist. ad Ephes. scribit, *quotidianam suo tempore fieri solitam oblationem*: S. Augustinus epist. 23. dicit, *Christum semel in cruce immolatum, omni die Sacramento populi immolari*: D. Hieronymus in c. 1. ad Tit. ait, *sacerdotes quotidie pro peccatis populi ac suis sacrificare*. Similia habent alij. Labet addere testimonium unitis ex ipsis sectarijs, Brentius in confess. Wittenbergensi cap. de Euchar. asserit, satis esse, si duo tantum adsint, nimirum unus, qui administrat Sacramentum, alter, cui porrigatur; quod sine dubio multo magis locum habet in sacrificio Missae, dummodo adsit minister, qui respondeat. Denique decreta Conciliorum. Agathensis plus quam ante mille annos celebrati, in quo sancitum, *ut singuli saltem ter in anno videlicet in Natali Domini, in Paschate, & Pentecoste communicarent* (quod jam praeeperat Fabianus Papa) & tamen can. 47. ab eodem jubentur *Christiani singulis diebus Dominicis interesse Sacrificij Missae usque ad sacerdotis benedictionem*: Turonensis 11. Itaruentis can. 50. si non frequentius, vel ter Laici homines in anno communicent: Tridentini Sess. 13. can. 9. decernentis & approbantis legem ab Ecclesia latam, *ut Christiani semel in anno, idque in Festo Paschatis Eucharistiae Sacramentum sumant*, c. omnis de poenit. & remissione. Haec autem decreta utique nunquam facta fuissent, si in quovis sacrificio communicatio seu distributio Sacramenti fieri debuisset.

XXIX. Respon. i. ad fundamentum universale, negando istud, scilicet Missam esse substantialiter cenam seu convivionem: non sacrificium; haec enim mera esse Novatorum somnia, abunde in superioribus ostendimus. Ac merum delirium est, nos Papistas Sacramentum convertisse in sacrificium circa tempora Gregorij M. Utrumque semper admiximus, & admittimus confidentes, Eucharistiam esse Sacramentum, quatenus est signum externum & visibile gratiae & resurrectionis: victimam vero & sacrificium, quatenus DEO offertur &c. Respon. 2. in specie. Ad D. Basilium. Non agere ibi S. Patrem de Missa, quae more catholico in quocunque loco celebratur, sed contra haereticos sui temporis, qui sacrificium celebrabant segregati ab universitate Ecclesiae, ideo subiungit ibidem aiens: *audite, qui Ecclesiam relinquitis, & in publicis domibus versati miseris facitis Corporis perniciosa scissuras*. Et postea: *tu aram erigis ex adverso altaris tibi à Patribus constituti. Et sic unicum in*

Ecclesia catholica intelligitur Altare, etsi materialiter plura sint per orbem christianum; at verò quod doctrinam Ecclesiae erigitur, ex adverso erigi dicitur. Atque in hunc sensum loquuntur & intelligendi sunt Patres. Ad Concilium Moguntinum. Nihil haec esse contra catholicos, qui asserimus, sacerdoti sacrificanti semper debere adesse Ministrum, sive ille cantet, sive legat Missam; iste enim Minister representat populum, cui dicitur, Dominus vobiscum. ac caetera, quae ad circumstantes diriguntur in missa; quamvis rara sint eiusmodi Missae, in quibus praeter ministrum non plures adsint; major est Catholicorum pietas, quam sibi imaginantur Sectarij; aut si adsint, id per accidens est, nec ex ratione sacrificij requiritur praesentia aliorum magis, quam dum ipsi haeretici aegros ac moribundos communicant solo fumente & ministro praesente. Ad Christi institutionem. Missam nunquam esse privatam actionem sacerdotis, sed communem totius Ecclesiae; quia à communi Ministro pro Ecclesiae bono offertur. Ideo omnis Minister Sacerdos & Pontifex ab hominibus assumptus est, & pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia. Hebr. 5. v. 1. Unde semper ex omni Missa est communicatio & fructus Ecclesiae, etsi nulli adsint; aut si intersint, spiritualiter communicare possunt, ex eaque communiōe spirituali publicus est fructus. Quodsi verò de Eucharistiae manducatione agatur, fatemur Christum instituisse cenam & sacrificium simul: at non praecipisse, ut illa duo nunquam separarentur, quasi sacrificium non posset offerri, quando nulli adsint, aut communicare praesentes nolint. Videatur Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 6. ubi rem optime exponit & decernit. Ad jus canonicum. Nihil in hoc aliud praecipitur, quam ut in solennioribus diebus Ministri, qui Episcopo sacrificanti assistunt, communicent; id quod can. 9. Apostolorum jam praescriptum erat. Videatur Anacleti epistola. 1. quae habetur Tom. 1. Concil. General. ex qua verba illa Juris Canon. fuerunt desumpta. Ad mercantiam. Calumnia est familiaris Molinæ & caeteris haereticis, apud Catholicos excreri mercantiam cum Missis, & pro rebus spiritualibus, quae tales sunt, accipi pecunias, illaque pro his vendi. Quoad rem ipsam, an liceat sacerdoti pro dicenda missa accipere pecuniam ad sustentationem, videatur Card. Lugo Disp. 21. de Euchristia sect. 1. & alij Theologi scholastici & Morales. Nobis hic satis est, quod scribit S. Paulus 1. Corinth. 9. v. 7. in haec verba: *Quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem haec dico? an & lex haec non dicit? scriptum est enim in lege Moysis: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est DEO? an propter nos hoc utique dicit? nam propter nos scripta sunt; quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? si alij potestatis vestre participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinarit ijs, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Quod prius etiam Christus ipse Matth. 10. v. 7 indicavit*

aiens: dignus est operarius mercede sua. Videmus igitur divino & naturali jure conforme esse, ijs, qui nobis ministrant spiritualia, corporalia seu necessaria ad vitæ sustentationem suppeditari.

XXX. *Error quartus est*, Missam vulgari linguâ & pro Germanis germanicam celebrandam. Ita Lutherani molliores, hoc est, Confessioni Augustanæ adhærentes, & ex his Kemnitius in part. 2. Exam. pag. 883. & seq. contendens, missam dici oportere, ut populus intelligat. Fundamentum potissimum sumunt ex Apostolo 1. Cor. 14. ubi reprehendit Corinthios in Ecclesia peregrinis linguis loquentes, quos alij non intelligebant vers. 24. ita dicens *si conveniat universa Ecclesia in unam, ut omnes linguis loquantur: intrant autem Idiota, & Infideles, nonne dicent, insanitis?* Addunt exemplum primitivæ Ecclesiæ: Item teste Azorio p. 1. L. 7. Inst. moral. c. 26. Ecclesiam permisit, ut Alexandrini populi, & Ægyptij Arabicè, Armeni Syriacè, & Moravi olim Sclavonicè, & Russi seu Rutheni vulgari suâ lingua peragerent officia divina.

XXXI. Contra errorem hunc sic re diligenter maturequè expensâ statuit Tridentinum Concilium Sess. 22. c. 8. *Esti Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur.* Factum fuit hoc statutum propter duo maximè incommoda sanè gravia, quæ sequerentur, i. quod oporteret frequenter mutare verba sacrificij, cum vocabula, quæ uno tempore sunt vulgaria, non diu post desinunt esse vulgaria. 2. quod tolleretur communicatio Ecclesiarum; nec enim posset Germanus celebrare in Italia & Gallia: nec Italus in Germania & Hungaria, quod idem est de Hispano, Anglo, Polono, aliisque Nationibus. Accessit antiquissima Ecclesiæ Consuetudo. Nam in toto Oriente non inveniuntur antiquæ liturgiæ nisi Græcæ aut Chaldaicæ: in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt nisi Latinæ; quæ tamen linguæ à multis jam sæculis desierunt esse vulgares; imò Germanis, Francis, Anglis, Polonis lingua Latina nunquam fuit vulgaria. Unde Sapientissimum fuit illud Concilij decretum, quod tamen non eò spectat, an sacrificium Missæ non possit in alia præter tres sacras linguas peragi, maximè in Syriacæ & Chaldaicæ, quæ non aliter, quàm dialectis fere differunt, cæterisque etiam: sed an expediat, & cujus Authoritate permitti id debeat?

XXXII. Respond. ad fundamentum Adversariorum. Apostolum id suum dictum limitasse vers. 5. *Major est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia edificationem accipiat.* Atqui Ecclesia Catholica suas ceremonias in Missis usitatas, sicuti etiam Scripturam solet explicare per Concionatores & Catechistas, sine qua explicatione non expediret populo Sacram Scripturam germanicè prælegere; quia propter obscuritatem non intelligeret, sed potius errores inde hauriret, ut ostendit Forer in Antiquit. Patris Lib. 7. cap. 18. & 19. num. 13. Quapropter Ecclesia, ut diximus, vetuit, Missam dici, nisi in tribus præcipuis linguis in titulo Crucis sacratis, nimirum Hebraica, Græca, & Latina. Et sanè ad pietatem Fidelium generalis & confusa notitia, (quod in missa nihil legatur nisi Sanctum, nempe doctrina DEI & preces ac laudes) abunde sufficit, sicuti etiam in privata oratione rarè ad significationem verborum attenditur, sed tantum in

confuso aliquid pij concipitur. Christus Dominus etiam Luc. 4. v. 16. in Synagoga populo prælegit Scripturam in lingua hebraica tunc vulgo ignota; quippe in captivitate Babylonica per chaldaeos corrupta, ut ibid ostendit P. Conzen. Ad hæc sacrificium non offertur ad populum instituendum si de primario & proprio fine agatur, sed ad DEUM colendum, & ad impetranda populo beneficia. Non igitur requiritur, ut populus intelligat id, quod dicitur, sed satis est, si DEUS intelligat. Ad exemplum Primitivæ Ecclesiæ dicimus, id non esse trahendum ad hæc tempora; quia aucto Fidelium numero in tanta multitudine varij ex causis sapientissimè alia expedire, quàm prius videri possunt. Ad Alexandrinos, Ægyptios, & Armenos ait ipse Azor, illos permissionem Ecclesiæ extorsisse. Sed extorquebimus & nos, inquit Gêrhardus L. 2. P. 2. fol. 1243. quod jus divinum non tantum permittit, sed etiam præcipit. Quid opus extorsione? ostendatur jus divinum aliquid quoad hoc præcipere. Verum quid ab homine vano requiro scripturam sacram, cum neciat suam Augustanam Confessionem; nunquid ista art. 3. de missæ abusibus sic habet: *Retinetur Missa apud nos, & summa reverentia celebratur: servantur & usitate ceremonie fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscuntur alicubi Germanicæ ad docendum populum;* quibus verbis haud obscure insinuat, nullum extare præceptum divinum Missæ germanicè celebrandæ, aliàs omnia & in omni loco linguâ Germanicâ fierent. Moravi & Sclavi id Romani Pontificis auctoritate obtinuerunt, nec ultra evincit testimonium Innocentij III. ab eodem Gerardo fol. 1238. adductum. Ista autem facultas non omnibus fuit concessa; cum enim Bohemi quoque eam à Gregorio VII. sibi peterent, rescripsit Pontifex Duci in hæc verba L. 7. Regist: *Quia, inquit, Nobilitas tua postulavit, ut secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum officium celebrari annunciamus, scias, nos huic petitioni tue nequaquam posse satisfacere, & hoc nempe sepe volentibus liquet, non immerito sacram Scripturam omnipotenti DEO placuisse, quibusdam in locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vislesceret, & pateret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem deduceretur.* Videantur Laurent. Forer loc. cit. & Lib. 1. cap. 21. num. 70. Bellarm. Lib. 2. de Missa c. 11. Lib. 2. de Sacram. in gen. cap. ult. L. 2. Verbi DEI c. 16. & Gretserus in defens. Bellarm. eod. cap. Cornel. à Lapide in 1. Cor. c. 14. v. 14. & c.

CONTROVERSIA LXXIV.

DE CULTU ET VENERATIONE Sacramenti Eucharistia.

Augustinus Lib. 20. contra Faustum recitatos, Gentiles olim de Christianis suspicatos fuisse, colere illos Cererem & Bacchum, eò quod Christum DEUM & Hominem sub speciebus panis & vini adorarent. Sæcularij nostri temporis ab hac quidem suspitione immunes fuissent, sed nec Christiani inter Gentiles apparuissent. Unde coniecitur, quàm immeritè ijdem Navatores hodie litem moveant de adoratione Christi in Sacramento Eucharistiæ jam in primæ-